

Ordens präsentiert würden, zuzulassen, andererseits die von den Vorgenannten verfügte Versetzung eines Ordensmitgliedes an eine andere Kirche nicht zu hindern (f. 254). 1297 Januar 23 — Juni 1. — Rom¹.

Bonifacius etc. venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus prioribus et aliis ecclesiarum prelatiis, ad quos littere iste pervenerint, salutem etc. Dilecti filii magister et fratres hospitalis Iherosolimitani nobis significare curarunt, quod licet eis a sede apostolica sit indultum, ut cum ecclesias ad ipsos spectantes vacare contingit, possint ad eas fratres eiusdem ordinis locorum ordinariis² et aliis prelatiis et aliis, ad quos institutio rectorum in eisdem ecclesiis pertinet, presentare, vos tamen fratres eosdem presentatos vobis per eosdem magistrum et fratres ad ecclesias ipsas, cum vacant quandoque, admittere contra iustitiam denegatis et nonnunquam cum difficultate institutis taliter presentatos, interdum etiam, cum dicti magister et fratres institutos huiusmodi ab eisdem ecclesiis ad alias iuxta instituta ipsius ordinis seu priorum et capitulorum provincialium eiusdem transferre intendunt, ut qui (f. 254') in uno loco minus sunt utiles alibi se valeant utilius exercere, vos institutos eosdem requisiti super hoc humiliter per prefatos magistrum et fratres a cura ecclesiarum ipsarum absolvere et alios ipsius ordinis fratres idoneos per eosdem magistrum et fratres presentatos vobis ad ecclesias memoratas instituere indebite denegatis, propter quod institutis iam dictis transgrediendi obedientie fines datur materia et eisdem magistro et fratribus non modicum imminet detrimentum. Quare prefati magister et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente vobis⁴ per apostolica scripta mandantes, quatenus eosdem magistrum et fratres habentes pro nostra et dicte sedis reverentia propensius commendatos³ fratres ipsius ordinis vobis⁴ per ipsos magistrum et fratres ad ecclesias presentatos eosdem, dummodo taliter presentati⁵ ad hoc existant idonei, iuxta tenorem indulti instituere ac institutos huiusmodi ad requisitionem dictorum magistri et fratrum a cura ecclesiarum ipsarum absolvere procuretis, difficultatem super hiis aliquam nullatenus ingerentes, ita quod nos devotionem vestram possumus exinde digne in domino laudibus merito commendare. Datum Rome apud sanctum etc. anno tertio.

1) Wegen des Ortes könnte das Stück auch in die Zeit zwischen 1297 November 17 und 1298 Januar 22 fallen. 2) cod.: 'diocesanis'.

3) cod.: 'commendantes'. 4) cod.: 'vos'. 5) cod.: 'pntata'.